



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt VI. De Modo Tendendi Fidei In Sva Obiecta, Formale Et Materiale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT VI.

DE MODO TENDENDI FIDEI IN SUA
OBIECTA, FORMALE ET MATERIALE.

CONTROVERSIA VNICA.

Virum Assensus Fidei possit consistere in Discursu Formali.

344. **N**on disputamus hanc controversiam in eo sensu, quo plures alij eam disputant, & nos superius fecimus, nempe, virum fidei divinam credi possint, quæ ex aliqua revelata deducuntur: sed in alio sensu, scilicet, an actus Fidei possint constituere formalem Discursum, ita ut intellectus per meros actus Fidei procedat à duplici cognitione connexionis extremorum cum medio termino ad inferendam conclusionem per actum realiter distinctum, ut fit in alijs scientijs. Negant Capreolus, Scotus, Canus, Bannez, Valentia, Suarez, Conink, Granadus, Tannerus, Pallavic. Affirmant non pauciores, Gabriel, Ockam, Almainus, Medina, Vasquez, Hurtadus, Becanus, Lugo, Ripalda, videturque præluxisse S. Thomas q. 1. a. 1. in C. ubi assensum Fidei circa objectum Materiale & Formale explicat comparando cum Geometrica Demonstratione, & addit, Fidem divinam assentiri Veritati Dei tanquam medio termino.

345. Censeo hanc affirmativam sententiam esse veram. Probatur. Habitus Fidei est habitus intellectualis, & quidem residens in intellectu, ex se discursivo; & præterea circa objectum fidei non experimur in nobis diversum modum operandi, atque circa alia objecta obscura quibus assentimur deducendo ex alio: insuper objectum formale & materiale fidei patiuntur circa se fieri illas connexiones terminorum, non aliter quam fit in fide humana: ac denique nullo solido fundamento probatur specialis repugnancia in fide, ut patebit, solvendo argumenta contraria.

346. Obijciunt adversarij primò SS. Patres dicentes, quod fides non sit inquisitiva. R. SS. PP. hæc ad populum dixisse in eo sensu, quo populi intererat dici: nihil autem intererat dissuadere illis discursum formalem: volebant ergo populum dehortari, ne circa Mytheria Fidei sese curiosius gererent, volendo ea fundare rationibus naturalibus, sine quibus nolent credere: hanc inquisitionem dixerunt præjudicare fidei, quæ debet esse contenta auctoritate loquentis.

347. Obijciunt 2. Si Fidei assensus esset aut posset esse Discursus, tunc ejus assensus posset niti Judicio de Bonitate consequentia: hoc autem est absurdum: nam Judicium de Bonitate consequentia, non excedit evidentiam naturalem: atqui actus Fidei debet esse firmior apprehensivè, quovis actu & evidentia à naturali: ergo nullà tali niti potest. Respondetur ex dictis. Vel Judicium de Bonitate consequentia habet evidentiam Metaphysicam prout habere solet in hominibus doctis, vel tantum physicam: si primum, tunc nego fidem debere esse certiorē & firmiorem. Si secundum, tunc pia affectio imperabit assensum firmum in eo gradu, quo meretur objectum taliter cognitum.

348. Replicabis. Ergo fides nostra tandem nitetur Regulis Logicis: nititur enim Bonitate consequentia, & hæc probatur per Regulas logicas: consequens autem est absurdum, & contra experientiam, tum quia nemo se reflectit supra Regulas Logicas in credendo, tum quia innumeris fideles ignorant illas Regulas. R. cum Card. de Lugo, negando sequelam. Nam ad eliciendum actum fidei, non est necessarium applicare Regulas Logicas vniuersales ad hanc conclusionem particularem eliciendam, sine vlla enim difficultate sæpe penetratur Bonitas illationis particularis ex penetratione terminorum, non minus quam penetrat rusticus illam quæ in hoc discursu continetur: si emi bovem quatuor aureis, non debeo vendere tribus, quia sic facerem jacturam vnius aurei: & sicut rustico est impossibile dubitare de hac consequentia, ita potest ex penetratione terminorum determinari ad inferendum Mytherium ex Veracitate & Revelatione.

349. Obijciunt 3. Et principaliter. Si fides esset formaliter discursiva, tunc posset seorsim assentiri Veracitati & locutioni divina: consequens, inquiunt, est difficile credi, idque triplici ratione ostendere nituntur. Primò, quia videtur ex terminis esse contra naturam habitus fidei, inclinare per se ad actum per quem nihil penitus credam alteri, nec vllò modo assentiar propter cujusquam testimonium, sed præcisè cognoscam

gnoscam aliquam veritatem propter seipsam. Secundò. quia sicut non possumus per habitum charitatis amare super omnia aliquid propter seipsum nisi Deum, ita non possumus per habitum fidei infusa credere super omnia vlli nisi Deo. Nam sicut amor super omnia soli Deo debetur propter infinitam bonitatem, ita etiam assensus super omnia soli Deo debetur propter infinitam veritatem; atqui per actum quo seorsum affirmo Veracitatem Dei, vel ejus revelationem, vel bonitatem consequentiam, nihil penitus credo Deo, cum ista non cognoscam ut revelata à Deo, sed immediatè propter seipsa, & velut ex terminis nota: ergo talis cognitio non producit ab habitu fidei infusa. Certè Omnipotentia, aternitas &c. non minùs ex terminis nota sunt, & tamen non possumus ea credere immediatè per actum fidei. Tertio, quia si homo adultus veniens ad fidem, institueret discursum, & postquam super omnia credidisset Veracitatem Dei seorsum, & casu impediretur actus Conclusionis, sequeretur (inquit Pallavicinus) tali homini adhuc deberi infusionem habitus fidei, quia per assensum illius præmissæ sufficienter esset mancipatus illius intellectus Veracitati divinæ tanquam primæ regulæ credendi: consequens est contra communem & receptam Theologorum sententiam, docentium, fidem adulto non infundi, nisi postquam se per actum fidei disposuerit. Ita Card. Pallavicinus.

350. Responderetur ad singula. Ad primum quidem ex jam supra dictis; Habitum fidei gerere etiam officium habitus primorum principiorum: quapropter non est inconveniens, eum posse tendere in suum motivum credendi absque eo, quòd per hanc tendentiam aliquid alteri credat: satis enim est, quòd per illud judicium præparet necessariam ad credendum: sicut, licet intellectus vocetur *Potentia rationalis*, nemo tamen negat ejus actum posse esse actum meræ apprehensionis, quæ non est propriè *Ratio*; alioquin amentes non rectè dicerentur ratione privati, cum non sint privati apprehensionibus.

Ad 2. 2. Si exemplum rectè applicetur, potius servire nobis, quàm officere. Nam motivum amoris Dei, quo Deum amamus propter se, alia verò propter Deum, est ipsa bonitas Dei: atqui habitus Charitatis potest elicere actum amoris circa bonitatem Dei, quin per talem actum velit aliquid determinatè Deo propter illam bonitatem: ergo etiam fides poterit tendere per suum actum in suum motivum, nempe Veracitatem & Revelationem, quin tendat in aliud propter ipsam. Deinde Syllogismus argumenti est vitiosus, quia constat tribus propositionibus negativis, & ideo concessa majore & minore, nego consequentiam: quæ ut legitima esset, deberet minor argumenti sic formari: *atqui assentiendo veracitati Dei seorsum, credo alteri quàm Deo*: quæ propositio quàm sit absõna, nemo non videt. Verissimum igitur est, fide divinâ non posse credi

alteri quàm Deo; hinc tamen non sequitur, non posse à fide elici actum immediatè circa motum, quo nihil adhuc actu credam Deo, sed aliter motivo, propter quod deinde creda aliquid Deo.

Ad 3. 2. 1. Argumentum planè debetur seipsam. Quæro enim ex adversario. Distinguo quæ fieri debet per actum fidei ad infusionem habitus fidei, vel est aliquid aliud in conceptum, quàm sufficiens mancipatio intellectus veritatis, vel non est aliud? si dicatur primum; ergo mihi infert adversarius, quòd habitus fidei infundendus sit positâ mancipatione intellectus per immediatum assensum Veracitati divinæ prædictæ. Nego igitur consequentiam, quia ut faceret adversarius, aliquid aliud requiritur ad ultimam dispositionem. Si verò dicatur secundum: ergo mihi supponit adversarius, positâ illâ sufficienter mancipatione nondum esse positam sufficientem dispositionem ad infundendum habitum: si ista illa duo sunt idem, non potest esse positum, quin pariter sit positum alterum.

351. 2. ergo 2. querendo iterum ex adversario. Si alicui adulto proponatur, *amorem actuale locutionem Dei*, per supernam illuminationem, honestum esse credendum, casu quo alicui loquatur, & ille conformiter dictamini pratico eliciat actum voluntatis, quod dicat: *Paratus sum credere Deo super omnia, si quid mihi loquatur*. quæro, inquam, an illi homini deberetur fidei habitus necne? quæro item, an nondum satis mancipaverit intellectum, quandoquidem tota meritoria mancipatio absolvetur per ipsam affectionem? Si affirmas: jam constabit, adulto infundi habitum fidei, absque eo quod eliciat vllum actum fidei, quod est contra ipsum & omnes. Si negas? poterimus & non negare, quòd sufficit mancipatio exercita per circa Veracitatem seorsum, aut circa locutionem Dei seorsum.

352. Respondeo nunc 3. & absolute directè, fidem non infundi, nisi ad summum modum, quando elicitur actus fidei propriè dictus, & propter quem ultimò & primario instituitur est habitus fidei, qui est, quo credo aliquid Deo revelati. Dixi. *ad summum*. Quia nunc prædicta à quæstione inferiùs tractanda, an habitus fidei infundatur aliquando ante Gratiam sanctificantem: & quidem ab adversario supponitur hæc Sententia affirmans, & nos permitimus, etiam men negatâ evanescet tota objectio.

Ad illud, quod in secunda probatione debeatur de Omnipotentia, Aternitate &c. quod etiam possent immediatè credi, sicut Veritas, nego paritatem. Nam fides, sicut & alij habitus, potest solum immediatè tendere in suum motivum: atqui omnipotentia &c. non est motivum fidei; sicut Veracitas: ergo non est paritas.

353. Obijciunt 4. Si fides est formaliter discursiva, non distinguitur amplius ab Habitu Theologicæ. 2. Theologiam à Fide differt, quod

quod illius Conclusiones non nitantur immediatè Veracitate & Revelatione Dei, sed re revelatà. Vtutem autem Habitus Fidei concurrat immediatè cum habitu Theologia ad Conclusionem Theologicam, quatenus hæc etiam attingit objectum fidei in suis præmissis, huc non pertinet, & libenter id concedimus.

354. Obijciunt s. Angeli in via habuerunt Fidem ejusdem rationis tum nostro habitu Fidei: atqui in Angelis non fuit Fides formaliter Discursiva: ergo nec est in nobis. s. Transeat major, distingo minorem. Non fuit formaliter discursiva remotè, & quantum erat ex parte habitus, nego, proximè, impedimento proveniente à natura & nobilitate subjecti, cui convenit nobilior modus operandi, transeat. Dico. Transeat. quia non desunt Theologi qui censent, Angelos etiam potuisse circa supernaturalia discursum formalem instituere.

CAPVT VII.

DE FIDEI, ALIORVMQVE AD IPSAM CONCVRRENTIVM SVPERNATVRALITATE.

CONTROVERSIA I.

An Actus Fidei sit supernaturalis quoad substantiam.

355. Actum Fidei esse aliquo modo supernaturalem, indubitatum est apud Theologos, & propugnatum à Patribus contra Pelagium, non quidem sub termino Supernaturalitatis, sed sub alijs æquivalentibus, ut, doni indebiti. Oppositum videtur clarè damnatum in Bulla Pij V. & Gregorij XIII, contra propositionem 24. Michaëlis Baij, quæ hæc erat. *Ab absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum coleret.* Controversia est, utrum sit supernaturalis intrinsecè & quoad substantiam, an solùm extrinsecè quoad modum. Hoc posterius dixerunt Cajetanus, Paludanus, Capreolus, Guilielmus Paris: Durandus, Okam, Gabriel, Almainus. Contra quos

Dicendum est, esse Supernaturalem quoad substantiam. Probari solet pluribus Scripturæ locis, ubi Fides vocatur Donum Dei, & quod sine dono non sumus sufficientes ad credendum ut oportet: qui textus sincere ponderati, suadent supernaturalitatem quoad substantiam. Dicitur enim Fides esse Donum, quo nos Pater Cælestis ad se trahit. Jo. 6. & sine quo nemo venit ad Deum, nec illi placere potest. Unde colligitur, hoc donum dari tanquam Medium maximè & primario necessarium & ordinans ad Vitæ æternæ consecutionem, in quo sup. diximus consistere Supernaturalitatem Theologicam & quoad substantiam.

356. Probat 2. Actus Fidei procedit connaturaliter ex habitu per se infuso & supernaturali, ut infra probabitur: ergo est supernaturalis quoad substantiam. Conseq. probatur. Nam

Habitus supernaturales sunt velut potentie indicatæ ad eliciendos Actus, & elevantes naturam ad operationes nobiliores illis, quas potest viribus proprijs elicere. Hinc

357. Probat 3. Quia ad statum supernaturalem & Filij adoptivi, non solùm pertinet, posse supernaturaliter operari per Voluntatem, sed etiam per intellectum, eliciendo operationes proprias filij Dei, & quæ sint fructus participationis naturæ divinæ, adeoque radicentur in Gratia sanctificante: ergo sunt supernaturales quoad substantiam, non minùs quàm ipsa Visio Beata, quæ Fidei succedit.

CONTROVERSIA II.

An Species impressæ, concurrentes ad Actum Fidei, sint supernaturales.

358. Cum Habitus Fidei sit ex se indifferens ad varia objecta fidei, & determinatio credendi vnum potius quàm aliud, fieri debeat ab objecto, deducitur, ad producendum Actum Fidei concurrere præter Habitum etiam Species, quæ gerant vices objecti. De his speciebus est controversia, an sint quoad substantiam supernaturales necne. Affirmant Granadus & Hurtadus.

359. Dico tamen, ad actum supernaturalem eliciendum sufficere Species Naturales, beneficio sensuum acquisitas. Ita Suarez, Vasquez, Conink, Lugo, Ripalda, alij RR. communiter.

Probo. Entia, præsertim Supernaturalia, non sunt multiplicanda, nisi vel virgeat inevitabilis necessitas, vel valde serviant ad facilius percipiendas

E c c